Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sententiae assertio uestra eius, id est unde doceatur uerum esse quod sentis, nos penitus latet. Praeterea peruenerat prioribus litteris meis, ut libellum fidei quem te scripsisse commemoras, eique nescio quem presbyterum fallaciter subscripsisse conquereris, mihi mittere dignareris. Quod etiam nunc peto. Et quod testimoniorum diuinorum huic questioni reserandae adhibere potuisti. Illicis enim in epistola ad Caesarienses placuisse uobis ut omnem ueritatis ad probationem etiam iudices cognoscerent seculares, quibus et communium deprecatione residentibus et ad fidem uniuersa rimantibus, id diuinitas ut scribis misericordiae suae infusione largita est, ut maiorem adfirmationem prorsus sensibus adsertionique praeferrent, quam uestra circa eos mediocritas cum ingentium testimoniorum auctoritatibus retinebat. Has ergo testimoniorum ingentium auctoritates ingenti studio scire desidero. Solam quippe unam causam uideris scripsisse, qua contradictores tuos refelleres, quod scilicet negarent esse opus dei animas nostras. Quod si sentiunt, merito eorum sententia iudicatur esse damnanda. Nam hoc si de ipsis corporibus dicerent, procul dubio fuerant emendandi uel detestandi. Quis enim christianus negat opera dei esse corpora singulorum quorumque nascentium? nec tamen ea propterea negamus a parentibus gigni, quia fatemur diuinitus fingi. Quando ergo dicitur sic etiam animarum nostrarum incorporea quaedam sui generis semina et a parentibus trahi et tamen ex eis animas dei opere fieri, ad hoc refutandum non humana coniectura sed diuina scriptura testis adhibenda est. Nam de sanctis libris canonicae auctoritatis possunt nobis testimoniorum subpetere copia, qua probatur deus animas facere. Sed testimoniis talibus hii redarguuntur qui opera dei esse singulas quasque animas in hominibus nascentibus negant. Non hii qui hoc fatentur et tamen eas sic corpora deo quidem operante formari sed ex parentum propagatione contendunt, ad hos refellendos alia diuina testimonia certa querenda sunt. Aut si iam inuenisti, nobis qui nondum inuenimus, cum impensissime quantum possumus inquiramus, [illegible] dilectione mittenda. Tua quippe consultacio